



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Evcharistia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

cunctis de elect.

3 No r. secundum gloss. in dict. clem. generalem, quod si annus significatur in ablativo, ut dicendo in anno. 2 §. quis possit fieri sacerdos, requirit tantum inceptionem, si verò significatur in genitivo, ut dicendo sit 14. annorum qui vult profiteri, requirit cōplementum. Et hac regula intelliges, annos in iure quando debent esse cōpleti, & quādo tantum inchoati. vide Tabu. ibi. §. 1. Idē dicit Ioan. de lig. in dicta cle. generalē. & Barr. in l. si cui. ff. de leg. 1. dicens quod si proferatur in ablativo cum præpositione in, sufficit inchoasse. si verò sine, requiritur quod sit completum. Sil. ibi. q. 2. §. 1.

## EVAGATIO.

EVAGATIO mentis peccatum est: quia à ratione declarat. Si munda sit veniale est, si ad illicitas materias declinat, iudicanda est iuxta regulas talium peccatorum, & hoc secundum se. Si autem adiungatur missæ, vel orationi, vel alijs, quæ requirunt attentionem, aliud iudicandum est, propter irreuerentiam, vel iniuriam annexam, secundum Caieta. ibi, in summa. Et tunc peccatum mortale est, cū per eam fit contra aliquod præceptū ut cū persolvens officium, ad quod tenetur ex præcepto, vagatur mente ex proposito. vide infra, Horæ canonicæ. §. 9. 20.

## EVANGELIVM.

EVANGELIVM audiendū est in missa non sedendo, nec genu flexo, sed stando, capite discoperto, quod ad viros tantum, ut præcipitur in ca. apostolica. de con. d. 1. non tamen obligat ad mortale. Evangelium super se portare sine aliqua superstitione, ponendo spem non in verbis scriptis, sed in Deo, est licitum, & eodem modo alias orationes, & dicit. Sanct. Tho. Rom. l. 6. coll. 1. in fin. quod verba euangelij scripta, habent veritatem salutiferam sicut Barnabas curabat infirmos. per illud secunda secundæ q. 96. ar. 4. infra, Reliquiæ. §. 4. Postquam prædicatum fuerit Evangelium in toto orbe, secundum Aug. ad Esitium, mundi

consummatio adueniet.

## EVCHARISTIA.

EVCHARISTIA, quod sonat bona gratia, id est sacramentum altaris, ex pane, & vino conficitur, secundum Th. 3. par. q. 73. a. 1. pane scilicet triticeo, & vino vitis. ibi. a. 3. non ex pane ordeaceo, vel ex lolio, vel milio: quia non sunt eiusdem speciei cum frumento, secundum Thomam in. 4. sententiar. & in 3. parte, supra. Albe. vult quod ex frumento, spelta, farre, siligine, possit fieri: quia dicit esse species sub genere frumenti contentas. Pet. autem de pal. in 4. sententiar. dist. 17. quæst. 1. a. 4 in 2. concl. dicit, quod far & spelta, quæ generantur ex tritico, sunt eiusdem speciei: idē ex ipse potest cōfici, & dicit quod in quibusdam locis ex hoc conficitur. Ric. verò & Seo. dicunt in nullo istorum posse confici, sed in solo frumento. Arc. flo. 3. par. titul. 13. canon. 6. §. 1. dicit hoc esse incertum. Thom. autem 3. par. quæst. 74. a. 3. ad 2. dicit quod si ali- quod granum ex frumento generari potest, sicut ex tritico generatur siligo, ex eo confici potest, nō autem ex spelta, farre, ordeo, & alijs, & hoc tene.

2 ADMIXTIO alterius grani cum frumento si est modica, non variat speciem, idē in ea potest confici, secus quando est multa, æqualis, vel in plus, secundum Thom. supra, & communiter doctores: idē in eo non debent confici.

3 Ex pane totaliter corrupto, non potest confici, secus quādo est in via corruptionis: quia saluatur species panis licet peccet sacerdos in tali consecrando propter irreuerentiam, secundum Thom. cum alijs. Neque cum amido, secundum Thom. & Seo. quia sit ex tritico corrupto. Quidam tamen contrarium tenent, sed quia incertum est hoc esse verum panem, taliter volens conficere, exponeret se periculo, & sic male faceret.

4 Ex pasta cruda non potest confici, secundum Thom. supra, & Scotum: quia pasta panis non est. Si autem coquatur, erit panis: non cōsuetum homini-



minibus uti pasta pro cibo.

<sup>5</sup> **I**n azimo conficit Romana ecclesia, & Græca in fermentato, & omnes tenentur seruate ritum suæ Ecclesiæ, idèo ita peccaret sacerdos latinus celebrans in Ecclesia Græcorum in azimo, sicut peccaret Græcus in ecclesia Latinorum conficiens in fermentato: quia ritum ecclesiæ peruerterent. in cap. literis. de celebra. miss. & secundum Thom. supra, Rationabilius tamen Latini faciunt: quia sic fecit Christus in azimo cõsecrans, prima die azimorum: & quia corpus Christi conceptum fuit sine vlla corruptione. Cõcordat Sco. probans Christum in azimo consecrasse.

<sup>6</sup> **E**x pane cõfecto cū aqua non naturali, sed vel rosaeca, vel alterius conditionis, non potest confici: quia hic non est verus panis: quia sicut dicit Innocentius in quadam decret. sicut allegat Thom. supra, verè admixtio aquæ ad farinam, est de necessitate huius sacramenti. Con. Sco. & Ric. licet Ast. & Dur. or. mi. dicant quòd ex hoc potest confici, licet taliter conficiens peccaret. Prima tamen opinio communior, & melior.

<sup>7</sup> **D**e solo vino vitis, & non alio liquore, etiam balsamo, sanguis Christi potest confici, secundum Tho. 3. parte qu. 74. a. 5. Neque cum aceto, quia per corruptionem vini fit acetum, neque cum agresta, quia cū sit in via ad vinum nondum est vinum, secundum Thom. supra. Secus de vino acetoso: quia licet sit in via corruptionis, tamen adhuc est vinum, peccaret tamen sic conficiens, ut dictum est de pane, qui est in via corruptionis.

<sup>8</sup> **D**e musto expresso etiam nouiter ex vna potest confici. capitul. si necess. de con. distinet 2. & Thom. supra, non tamen debet vna in calicem exprimi propter impuritatem, nisi ob necessitatem. In vna tamen non potest: quia vna non est potabilis. sed magis comestibilis.

<sup>9</sup> **D**e vineta multum adaquata non potest confici, quia vinum non est, sed quando parum esset de aqua, ita

quòd non mutasset speciem vini, non tamen liceret, nisi cum aliud non posset haberi.

<sup>10</sup> **P**apa non posset dispensare, ut sine vino conficeretur in locis, ubi vinum non potest haberi: quia in sacramentis inessentialibus Papa non potest dispensare. Vnde dicitur, quòd Alexander vltimus voluit dispensare quibusdam petentibus, & fuit declaratum, quòd non poterat. Posset tamè secundum Pis. & Ang. in verb. Eucharistia. dispensare, quod tantum corpus conficeretur. hoc tamen dubium habet, ratione perfectionis sacramenti.

<sup>11</sup> **A**d mixturam aquæ in vino est de præcepto. in cap. literis. de celebra. missa. & consecrans sine aqua, mortaliter peccaret, non tamen est de essentia. nam Græci consecrant verè, secundum Petr. de pal. & non ponunt aquam & debet esse aqua naturalis, ut supra, de aqua qua conficitur panis, aliter mortaliter peccaret conficiens scienter, & debet esse modica, ut citò in vinum conuertatur, secundum Thom. supra, & Sco. vnde bonum est in principio missæ calicem præparare, ut faciunt fratres prædica. ut interim aqua possit in vinum conuerti, & debet apponi in missa, & non ante in bocali, vel vegete: secundum Petrum de pal. debet etiam benedici quando apponitur: quia non amplius poterit benedici: quia in vinum erit conuersa. Vinum autè non benedicitur tunc: quia remanet.

<sup>12</sup> **S**acerdos potest cõsecrare totam matertam panis, & vini, positam coram se quantacumque sit, siue pro vsu fidelium, siue ad alium effectum malum, non tamen omnem panem, & omne vinum, quæ sunt in ciuitate: quia oportet quòd materia sit præsens, secundum Thom. in. 4. sent. di. 1. q. 2. a. 1. q. ad 13. par. q. 47. a. 2. De præsentia materiæ, dicit Petr. de pal. quòd oportet materiam esse præsentem, aliat esset falsitas, dum dicitur per pronomen demonstratiuum, hoc est, & hic est, & c. & non est determinata quantitas, ut possit consecrare tot hostias,

o s & non



& non plures: secundum Tho. quicquid dicant alij. Hæc est cõmunis sententia, & tenenda. Hic angelica mordet Sanct. Thom. sed non est curandũ de eius verbis, sed de rationibus Sanct. Tho. quæ sunt multum rationabiles, & bene fundatæ.

<sup>13</sup> F O R M A consecrationis panis est hæc, Hoc est corpus meum secundum Thomam. 4. senten. distict. 8. q. 2. argument. 1. quoli. 1. Sco. verò ibi dicit, quòd hoc non est certum, videlicet quòd sit forma, nec est necesse scire, quæ sit forma determinata. Sed Tho. 3. parte. quæst. 78. 1. ad 1. tenet, quòd hæc est forma, & qui diceret hæc tantum, cum intentione, consecraret, licet grauer peccaret, opinio autem Sco. est contra vsum Ecclesiæ, idè non tenenda. Ly enim: non est de essentia, tamen debet dici, quia secundum vsum Romanæ Ecclesiæ, est & scienter omittere peccaret, faciens contra consuetudinem ecclesiæ, consecraret tamen, hæc secundum Thom. vbi suprâ. ql. 3. ad. 1.

<sup>14</sup> F O R M A consecrationis vini est hæc, Hic est calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, misterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effunderetur in remissionem peccatorum: secundum Thom. 3. pat. q. 38. a. 3. sic enim habet consuetudo Ecclesiæ. Ly enim, non est de essentia, tamen debet dici, sicut suprâ dictum est de forma panis consecrandi. Sic stat in missali sancti Ambrosij, scriptum literis aureis tantum verba consecrationis. Et his formis nihil debet addi, nil minui, aliter quis grauer peccaret: vt dicendo, hoc est verum corpus meum, & huiusmodi.

<sup>15</sup> Q V I D si miraculosè hostia appareat caro, &c. suprâ, communiõ. §. 12. ibi ponitur quid sit agendum. Solus sacerdos potest hoc sacramentũ consecrare. d. 2. cap. perlectis. & omnis, tam bonus, quàm malus, etiã degradatus: quia habet characterem ordinis sacerdotalis indelebile, idè semper potest, licet non de iure.

<sup>16</sup> D V O sacerdotes possunt eandẽ ho-

stiam consecrare, ita vt vnus medieta-tem vnã, alius alteram consecret, secundum Pet. de pa. 4. sen. di. 13. q. 4. a. 16. Immo plures, possunt eandẽ hostiam simul consecrare, vt solet fieri in ordinatione sacerdotum, qui simul consecrant cum episcopo, & omnium intentio debet ferri ad instans principaliter consecrantis. hoc tenet Sanct. Tho. 3. par. quæst. 87. a. 2. post Inno. 3. & Petrus de pal. licet quidã oppositũ dicant, cõtra tamẽ vsum ecclesiæ, idè non tenendum, sed primum verũ est, <sup>17</sup> Q V I habet coram se 20. hostias, de quibus intendit consecrare tantum 10. sed non determinat, quas velit consecrare, nullatũ consecrat, quia eius intentio est indeterminata, sed si credit hostias esse 40. & sunt 50. tamen intendit consecrare omnes quas coram se habet, omnes consecrat: quia eius intentio est determinata. Et si aliquæ hostiæ essent ibi sub mappis, vel aliter in altari, quia eas non intendit consecrare. Similiter si aliqua gutta vini esset extra calicem, non essent consecratæ hostiæ, neque guttæ vini tales: quia non intendit.

<sup>18</sup> M I S S A mali sacerdotis, quantum ad sacramentum, quod est principale, tantum valet, quantum missa boni sacerdotis: quantum autem ad orationes, siue oret in propria persona, siue vt minister ecclesiæ, melior est missa boni, quàm mali. Nam melior instrumento opus melius artifex facit. Ita tenet S. Thom. suprâ, & Alex. Papa. in cap. ipsi sacerdotes. q. 1.

<sup>19</sup> A N vinum congelatum cum non potest commodè liquefieri, possit consecrari? Sil. ver. eucharistia. 2. circa fin. dicit, quòd sic, quia à non congelato non differt specie, sed videtur habere dubium: quia non est per modum potabilis, sicut non potest consecrari hortus, in quo est vinum, vt suprâ dictũ est. quia vna magis est comestibilis, quàm potabilis, ita videtur & de glacie, cum qua glacie ex aqua facta, vel niue, licet verè sit aqua, tamen quis non potest baptizari, quia non habet modum ablutionis, sic fortè possit dici de



ei de vino glatiato, quod non possit cōfici, saluo tamen meliori iudicio. Consulere igitur sacerdoti, ut vinū omnino glaciem factum, nō sacraret, sed aliud potius vinum apponeret nō cōgelatum, quod consecraret, reposito primo in piscina.

## EVICTIO.

**E**Victio secundū Azo. est rei emptæ, aut ex alia iusta causa acceptæ per sententiam iudicis abductio. Sicut si A. emat agrum à B. & C. in iudicio probauerit esse suum, dicitur illū euincere, & hinc oritur euictio, vnde B. qui vendidit, tenetur A. de euictione, id est pro re euicta suprâ, Emptio. circa fin. §. 32. & pro re euicta, & dānis ob hanc causam datis satis facere, si de euictione tenebatur.

## EXCOMMUNICATIO.

**E**xcommunicatio nota debet esse confessori, rā maior, quā minor, ut primò sciat in quibus casibus excommunicatio incurritur: ut cognoscat an pœnitens sit excommunicatus vel non. Secundò, in quibus casibus excommunicatus, dicendo, faciendò, suscipiendo, precat, & cognoscat peccata, quæ in excommunicatione manendo fecit. Tertio, perpendat peccata, quæ in excommunicatione occasionantur in altero non excommunicato. Quarto, sciat qualitatem vinculi, an superiōri, & cui referuetur. Ex Caiet. in summa ibi.

**I**n excommunicatione qualibet, siue à iure, siue ab homine. Primò est consideranda persona, quæ excommunicatur, an excommunicatio se extendat ad illam. Secundò, an actio, propter quam quis excommunicatur, sit consummata: quia nisi sit consummata, non est locus excommunicationi, etiā quod sit incepta. Ex parte autem agentis, à quo egreditur actio exigitur, quod sit agens eliciens, & non tantum imperans: quia si excommunicatur occidens Titium, qui mandat occidi, non est excommunicatus, ideò quando canon vult comprehendere etiam cooperantes, dicit: quicumque dederit consilium, auxilium, &c.

vel quicumque fecerit, vel mandauerit, & c. ideò benè videndi sunt textus antequam detur iudicium circa excommunicatos. Nec obstat excommunicatio iuris communis contra participantes in crimine criminoso: quia loquitur de participante cum iam excommunicato: ut infra declarabitur, Excommunicatio. 25. Caiet. vbi suprâ.

**3** QVANDO excommunicantur dantes consilium, fauorem, vel mandantes, & c. nunquam sunt excommunicati, nisi sequatur talis effectus, pro quo consuluerunt, mandauerunt, & c. & quando excommunicantur retrahentes à solutione decimarum, & huiusmodi, sunt excommunicati, si quantum in se est retrahant, etiam quod non sequatur retractio: quia actus propter quam lata est excommunicatio, non est retractio à solutione decimarum. sed dicere aliquid propter quod retrahantur, & sic de similibus. Caietan. suprâ.

**4** EXCOMMUNICATIO secundum Thom. 2. sententia. d. 18. dicit separationem à communione Ecclesie, quo ad fructum, id est, à sacramentis, & suffragia generalia, id est, à participatione spiritualium, & hoc de maiori excommunicatione intelligitur. Vnde sacerdos, ut minister ecclesie orans, non potest pro eo publicè, & specialiter orare, licet secundum quosdam in ipso memento missæ possit orare tanquam persona priuata, quia illud spatium conceditur sacerdoti, ut possit orare pro suis, siue sint Christiani boni, vel mali, siue infideles, siue aliter.

**5** EXCOMMUNICATIO minor, de qua in cap. cum excommunicatio. 11. q. 3. excludit præcisè à passiva participatione sacramentorum, quia sic ius disponit. cap. si celebrat. de cleri. excommunicati. in. & ab electione, quia talis est inhabilis ad quodcunque ecclesiasticum beneficiū, & si eligatur, etiam per ignorantiam nullam consequitur dignitatem, ut not. in eod. cap. si celebrat. ut tenet etiam ibi Innoc. A cœtu